



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vitae Sanctorvm

Lippeloo, Zacharias

Coloniae Agrippinæ, 1603

Martyrivm SS. Vrsvlae Et Sociarvm Virginvm Aliorvmqve Associatoru[m]
breuißime fideißeimeq[ue] conscriptu[m] ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-42787

MARTYRIVM SS. VR-
SVLAE ET SOCIARVM VIR-

GINVM ALIORVMQVE ASSOCIA-
torū breuissime fidelissimeq; conscriptū: Ex eo quod
est Per R.D. Hermanum Fleien, S. Theologia Do-
ctorem, S. Cuniberti Decanū, Sanctarumq; Virgi-
num Colonia Canonicum. Coronatae sunt anno à
Christi Incarnatione plus minus 451. sub Atilla

Hunorum Rege: qui eodem tempore (iux-
ta C. Baronij Annal. Tom. 6) Gallias,

aliasq; prouincias occiden-
tales inuasit.

CVM inclinare Resp. Romana, labi &
propè cadere inciperet, nō modò prin-
cipibus ipsis tyrannidē occupantibus,
verumetiam & a Barbaris vndique in Impe-
rium irrumpentibus, & multis pijs ac Chri-
stianis populis de ceruicibus suis iugum ser-
uile deiicientibus, Britanni quoque à Pictis &
Scotis, continuis diuexabantur ærumnis. Et
quanquam fortiter ac strenuè à Romanis pro-
uincia copijs hostium aliquoties prostratis &
proffigatis defendebatur: tamen, quia indies
Romanæ res magis attenuabantur, imminue-
banturq; & legio, quæ à Romanis missa, Bri-
tannis subsidio venerat, ducem suum cum
multis nobilibus Britannis, inter quos Cona-
nus erat honesto loco apud suos natus, secuta
in Armoricâ Galliæ regionem traiecerat, ibi-
que nouum Britannicæ Gallicæ regnum firmare
cœperat; b coacti sunt Britones omni ope &

21. Octob.

a Censat
Romanos vo-
casse omnes
illos barba-
ros, qui ipso-
rum imperio
non parebāt.

b Hæc acta
esse anno
449. testa-
tur Beda lib.
1 Ecclesiast.
H. St. cap. 15.

Kkk

auxi-

auxilio destituti, Anglos populum Saxonum & barbarum contra Pictos & Scotos conducere. Quæ cum sunt, aut certè haud multo antè, ex Britannia Gallica Conanus, qui isti regno à Duce legionis præfectus erat, missis legatis

*S. Vrsula peti-
tur in vxore
à Cona-
no præfecto
Britanniæ
G. lica.*

in maiorem Britanniam, vxorem sociam Regni petebat, Vrsulam, filiã Dionethi regis, & alij milites alias virgines. Putabatur enim regnum firmum & diuturnum non fore, nisi ex gente sua vxores sibi adiungerent. Dionethus apud Britones cum adhuc viueret vir magni nominis & auctoritatis erat, & à prima ætate Christiana fide uti & ceteri Britones imbutus. Vrsula filia præterquam quod & ipsa Christo seruatori nostro nomen dedisset, ad eum erat pudicitia & virginitati dedita, vt ad nuptias istas quanquam Regias, inuita tamè pertraheretur. Gens verò Anglorum ad defensionem vt dictum est vocata, Insulæ fertilitate illecta,

*S Vrsula en-
comium.*

cum nisi biennio pro Britannis contra pictos & scotos bella gessisset, inito ad tempus cum illis foedere, in socios Britannos arma immani audacia & ferocitate a vertit; præterquod sibi decreta stipendia non persolui. Ruebant, scribit *b* Beda, ædificia publica simul & priuata; passim Sacerdotes inter altaria trucidabantur; præfules cum populis sine vllò respectu honoris ferro pariter & flammis absumebantur: nec erat qui crudeliter interemptos sepulturæ traderet. Tanta ergo clade pressi Britones, dum nouæ sponsæ abiturum parant, magna hominum multitudo, tam Ecclesiasticorum, quam laicorum impendentes maiores calamitates declinaturi, sese illis adiun-

*En execran-
dam Anglo-
rum perfidiã
ac impietate.*

vt dictum est vocata, Insulæ fertilitate illecta, cum nisi biennio pro Britannis contra pictos & scotos bella gessisset, inito ad tempus cum illis foedere, in socios Britannos arma immani audacia & ferocitate a vertit; præterquod sibi decreta stipendia non persolui. Ruebant, scribit *b* Beda, ædificia publica simul & priuata; passim Sacerdotes inter altaria trucidabantur; præfules cum populis sine vllò respectu honoris ferro pariter & flammis absumebantur: nec erat qui crudeliter interemptos sepulturæ traderet. Tanta ergo clade pressi Britones, dum nouæ sponsæ abiturum parant, magna hominum multitudo, tam Ecclesiasticorum, quam laicorum impendentes maiores calamitates declinaturi, sese illis adiun-

*a Contigisse
hec constat
anno 451.
b lib. 1. Ec-
cles. Hist.
cap. 15.*

vt dictum est vocata, Insulæ fertilitate illecta, cum nisi biennio pro Britannis contra pictos & scotos bella gessisset, inito ad tempus cum illis foedere, in socios Britannos arma immani audacia & ferocitate a vertit; præterquod sibi decreta stipendia non persolui. Ruebant, scribit *b* Beda, ædificia publica simul & priuata; passim Sacerdotes inter altaria trucidabantur; præfules cum populis sine vllò respectu honoris ferro pariter & flammis absumebantur: nec erat qui crudeliter interemptos sepulturæ traderet. Tanta ergo clade pressi Britones, dum nouæ sponsæ abiturum parant, magna hominum multitudo, tam Ecclesiasticorum, quam laicorum impendentes maiores calamitates declinaturi, sese illis adiun-

adiungunt itineris comites . Ingressi mare
 in Armoricam tendentes , mox sæua tem-
 pestate orta classis tota dissipatur , & disijci-
 tur ; atque alijs naufragium facientibus san-
 cta Vrsula Virgo cum vndecim millibus mar-
 tyrij coronæ seruata , post longos errores &
 pericula tandem Coloniam Agrippinam appu-
 lit:quam Ciuitatem tunc Hunni , gens & bar-
 bara & libidinosa , & Christiano nomini ini-
 mica , vel obsidione adhuc cingebant , vel quod
 verisimilius est iam occupauerant. Hunni exi-
 mia pulchritudine & venustate foeminas con-
 templati , in venerem prouisi eos ad carnis com-
 mercium flagitare cœperunt . Cœterum cum
 sancta Vrsula , non minus virtutum ac vir-
 ginitatis nitore quam genere illustris , totam
 Societatem pijs Christianisque monitis vt
 potius pro Christi fide , ac pudicitia vitam a-
 mittere , quam barbarorum voluntati & libi-
 dini parere optarent , magna constantia co-
 hortata fuisset : mox Hunni quia diu manere
 non licebat , immani furore perciti , Barbari-
 ca crudelitate vniuersam multitudinem con-
 trucidârunt . Agrippinates verò cum iam ho-
 stis alio se recepisset , ciuitatem egressi sacra
 corpora in locis vbi occubuerant piè , vt de-
 cebat , sepeliêrunt ; ac honore sanctis marty-
 ribus debito celebrauerunt , & persecuti sunt ;
 nec non vbi quam plurima corpora recondita
 fuerunt , Basilicas non diu post erexerunt ædifi-
 câruntque ; quarum illam , quæ SS. Virginum
 est in tanta veneratione semper habuerunt
 vt nullius mortui corpus ibidem vnquam se-
 peliêrunt . In qua etiam Anno à nato Christo

*S. Vrsula cu
 socijs Colo
 niâ appellit.*

*Hunni que
 les.*

*Crudeliter
 ab Hunnis
 suis necatur
 S. Vrsula.*

*Ab Agrippi
 natibus in
 Agro Colo
 niensi sepe
 liuntur.*

*Basilica S.
 Vrsulae quâ
 to in honore
 semper ha
 bita.*

*Eximia pie-
tas Herman-
ni primi Ar-
chiepiscopi
Colonienſis.*

Seruatore 932. Hermannus eius nominis pri-
mus Archiepiſcopus Coloniēſis collegium ſa-
crarum virginum & Canonicorum fundauit
& dotauit; atque eius ſucceſſores non contem-
nendis bonis, ad honorem Dei omnipotentis,
ſanctarumque virginum cultum debitum pio
zelo auxerunt & amplificârunt.

ANNOTATIONES.

*Quæ dubia in Historia virginum occurrunt breui-
ter enumerata.*

Com multa ſunt in Historia vndecim mil-
lium virginum, quæ ad maiorem veritatis co-
gnitionem explicatione opus habet, tum præ-
cipue tres quæſtiones de ea iam à multis an-
nis in dubio remanſerunt: de quibus quid ſta-
tuendum videatur, paucis inquirêdum venit,
vt ſolutis iſtis nodis, reliqua facilius expe-
diantur. Vna eſt de auctoribus, ex quibus ve-
ra virginum historia accipienda ſit; altera
de tempore; tertia de loco; quo ſcilicet tem-
pore, & quo loco S. ſocietas, patria ſua reli-
cta, ad martyrium pro Chriſti nomine, ac pu-
dicitia tuitione tandem peruenerint. Aucto-
res, qui hiftoriam SS. Vrfulæ, & ſociarum
contexuerunt, duplicis ſunt generis. Alij e-
nim ex maiorum, & veterum inſulæ Albio-
nis vel Britannia traditione ac ſcriptis eam
repetere malunt, quam aliundè incerti quid
literis mandare; Galfridus Monumetenſis, Pô-
ticus Virunnius, Polidorus Virgilius, Ioan-
nes Trithemius, Hector Boëthius, Cæſar Baro-
nius, & ſimiles. Alij verò in eadem historia
deſcribenda ſecuti ſunt viſiones, & reuelat-
tiones

eiones diuerfas, diuerfis personis, vt fertur, factas, videlicet reuelationes S. Elizabethæ, Abbatissæ Schonaugiensis, quæ vixit anno 1156. vt ipsamet proficitur; Hellentrude sanctimonialis conuentus in Heryse, quo tempore hæc vixerit, mihi adhuc non liquet; & fratris cuiusdam T. qui scripsit suas reuelationes anno 1183. vt ex præfatione eiusdem in visiones hic Colonix ante annos aliquot impressas est videre. Suspicio autem hunc esse Tundalum hybernum Cassellensem Carthusianum, qui hisce temporibus non tantum vixisse, sed & reuelationum suarum librum edidisse scribitur. Horum, inquam, & similium multi reuelationes diuinitus, vt dicunt, ipsis factas secuti, multò aliter ac etiam copiosius, eandem historiam, quam priores conscripserunt, vt Rogerius Cisterciensis & Richardus Præmonstratensis Anno 1190. vel circiter. Item incertus auctor Colonix ante complures annos excusus, & nostro tempore à Surio in Tom. I. ex antiquo manuscripto exemplari iterum descriptus, ex quo lectiones Breuiarij Colonienfis postea desumptæ sunt. Ex iisdem reuelationibus eadem quoque historia passim hinc Colonix in templis, religiosiis domibus & alibi depicta conspicitur.

De tempore triplex est opinio. Vna eorum, qui historiam referunt ad annum Christi circiter 238. Altera, qui tempore Maximi tyranni à quo Gratianus Imperator interemptus est, stragem hanc accidisse putant; Tertia, qui scribunt societatem hanc tunc trucidatam, cum

Kkk 3 Attila

Attila Hunnorum Imperator Germaniã Galliamque vastavit.

De loco similiter diuersæ opiniones inueniuntur; quarum prima refert passas esse diæctas virgines ante portas Coloniae Agrippinae, vbi & corpora earum quiescunt, atque ita sentiunt non modò qui reuelationes sectantur, sed & plurimi Historiographi, quos infra nominabimus; altera eorum est, qui, cum ex Britannia soluissent, ac in Galliam iter direxissent, tempestate fuisse in oppositum maris Germanici litrus eiectas, ac ibidem ab Hunnis trucidatas, atque plurima earum corpora Coloniae Agrippinae delata existimant, sic statuunt Martyrologia Romana & Cæsar Baronius. Sunt etiam qui certa literis loca designant, ut Marcus Vellerus & Suffridus Petrus, quanquam hoc cum suis auctoribus non tam locum Martyrij quam quo ex Britannia traiecisse arbitrabatur, indicat & demonstrat. Cum ergo in hac historia tot moueantur dubia, quæ à nullo adhuc, quod sciam, sunt resoluta; operæ præmium me facturum spero, si meam de illis exposuero sententiam, alijque occasionem præbeam de re obscura, & quæ à nullo auctore adhuc satis explicata sit, ad veritatem eruendam amplius cogitandi & disquirendi.

EX QVIBVS AVCTORIBVS VERA
virginum hystoria sit petenda.

DE auctoribus hoc est iudiciũ Clarissimi viri Cæsaris Baronij, in notationibus in Martyrologiũ Romanũ: ad diẽ vigesimum

num primum Octobris Sanctarum virginum historiam diuersimodè à diuersis auctoribus scriptam reperimus, siue à Rogerio Cisterciensi, hinc à Richardo præmonstratensi, aut ab incertis auctoribus, vt quæ descripsit Mombrius tomo secundo, Petrus in Catalogo libr. 9. Cap. 87. Claudius Rota Cap. 154. Bonfinius de rebus vngaricis Decadis 1. lib. 5. aut quæ vberius recitat Surius tomo quinto. Hi quidem omnes in eandem conueniunt sententiam, Vrsulam vna cum socijs Romam peregrinationem suscepisse ac in itinere incidisse in Hunnos, ab iisdemque sauisimè trucidatas, idque accidisse Anno Domini 453. testatur Sigebertus in Chronica. addit & de quodam Romano Pontifice Cyriaco nomine, qui eadem fuerit comitatus. Accidit in his quidem, vt de perita vera Germanaque earum virginum historia, quisquis (vt libuit) siue quæ suo ingenio commètatus fuerit, siue quæ ab alijs leui quodam vulgi rumore acceperit, scripturæ monumentis commendarit, nõ sine magno veritatis detrimento, cum grauisssimam historiam commentitiam penè reddiderint. Hæc Baronius: ex quibus manifestissimum est doctissimum virum & in Ecclesiasticis rebus diu multumq; foelicissimè versatum, omnes illos, qui reuelationes, de quibus supra diximus in virginum historia describenda, sequuntur, repudiare: neque vllam illis fidè attribuere: quomodo & pleriq; alij antè ipsum, vt Melchior Canus Episcopus Canariensis lib. 11. de locis Theologicis in obiectione 13. Itè Cranzius in Metropoli Trithemius Abbas in epitome historiarum

Francorum & his antiquior Gobelenus quidam autor libri qui Cosmi dromium inscribitur, cuius verba paulò post ex Chronicis Coloniaensibus recitabimus, nullam vel certè valdè parvam, ijsdem visionibus & revelationibus fidè hæctenus adhibuerint. Et ad me quod attinet, liberè & ingenuè profiteor, mihi reuelationes istas semper fuisse suspectas, nec verò sine causa; multa enim in reuelationibus istis proferuntur absurda, inter se pugnantia, & à veritate prorsus aliena. Exempli gratia: Elizabetha statim in principio suarum reuelationum narrat, virgines nostras sine honore sub pedibus hominum & iumentorum ad vsque annum 1156. iacuisse, quod à vero alienum esse multis modis postea patebit. Patrem S. Vrsulæ Maurum nominatum ait, qui dictus fuit Dionethus, ex quo nomine incertus auctor apud Surium fecit, Deo notus. Cyriacum papatum Romanum administrasse per annum integrum & vndecim hebdomadas, eidemque substitutum Anterum, eadem cõtendit, sed falsò, vt ex ecclesiastica historia infra docebitur. Sponsum S. Vrsulæ Regem fuisse in Britannia Anglica affirmat, quem ipsa Aetherium, Frater T. Holofernem dictũ somniant. Maximino, quem Maximum ipsa appellat, & Africano Cõsulibus Virgines nostras martyrio affectas primũ affirmat, & mox sui oblita tẽpore Aquilini Archiepiscopi Coloniaens. 4. post Maternũ idẽ accidisse asseuerat. His similibusque somnijs plura alia adiicit Fr. T. quæ nunc omnia colligere non libet. Quoniã autẽ nulla nituntur veritate, vti postea intelligetur,

meri-

meritò non tantùm reuelationes istas hæc-
 tenus habui suspectas, sed & historiã Virginum
 ex iisdem cõscriptam. Nec mouere nos debet,
 vt reuelationes propterea approbemus, vel
 quod plurimi eas hucusq̃ue magni fecerunt, a-
 dedò vt vulgò nũc vsitatum sit, Ecclesiã SS. Vir-
 ginum nullo alio titulo quàm reuelationum
 insignire, vel quod dicta Elizabetha in nume-
 rum sanctorum relata sit, & sanctitas ei meritò
 fidem conciliare debeat. Nam quod multi pro-
 bant, nec tamen ab vniuersis recipitur, imò à
 multis doctis refellitur, esse magni momenti
 non potest. Et cùm reuelationes non sint vnius
 generis, quando nonnullæ pertinent ad histo-
 riam Virginum, de quibus hic agimus, aliæ ve-
 rò quibus certa virginum corpora pijs & san-
 ctis hominibus fuerunt commonstrata, quæ &
 postea religiosè à diuersis Episcopis ad hone-
 stiora loca sunt translata, de quibus hoc loco
 nihil improbamus, à posteriori genere templi
 nostrum sic appellari posse existimamus. Po-
 test & alia esse appellationis ratio. Vulgus e-
 nim locũ Germanicè appellat *Suntermittien*, quæ
 vox cùm non immeritò videri possit, duriter à
 Sanctarum reuelatione esse deducta, sunt qui
 existimant à Vigilijs quas Christiani olim fre-
 quentius quàm nunc ad sepulchra SS. Virgi-
 num agere consueuerunt, appellationem istam
 esse deriuatam. Rursum sunt aliqui quibus ma-
 gis placet vt à Gauillijs quibusdam, vel quod
 ego verius puto Gaijs Auillijs vulgò locus hoc
 nomen acceperit. Rãtio hæc est: in templi SS.
 Virginum muro australi ante paucos adhuc
 annos antiquissimus & non parum attritus la-

Kkk s pis

pis muro insert⁹ & inædificat⁹ cõspiciebatur, nunc verò indè exéptus ab Illustri & generoso D. Hermanno Comite à Wandscheit assèruatur in Wandscheim/ in quo tres sunt incisæ & insculptæ facies cum nominibus, quorum imagines proferunt, ad modum sequentem.



EX hoc lapide cõiecturam facimus ante virginù cædem, familiã in la; i-le nominatã habuisse eodẽ loco suam sepulturã, & monumentũ, atq; inde locũ fuisse nominatũ siue Gauillianum siue Auillianũ (ex veterum enim Romanorũ monumentis, loca non pauca fuisse denominata, manifestissimũ est) cum aũc postea

postea SS. Virgines eodē loco pro Christo fuissent trucidatæ, antiquum nomen nullo modo totū fuisse abolitū, & oblitteratū: sed tunc nominari coeptum ad SS. Auillianas quæ in loco Auilliano essent conditæ, vnde cōmoda deriuatione vulgus dixerit *Sunteruiffen*. Sed de hoc liberum esto lectori iudiciū. Porro nec Elizabethæ sanctitati potest detrahi, si fides eiusdē reuelationib⁹ in omnibus nō adhibetur, quæ non semper quæ sancti viderunt in spiritu, eadem vt prophetæ viderunt, sed iuxta suas mente cōceptas imaginationes. Quemadmodū docet D. Gregorius Magnus exēplo Natham Prophetæ, homil. i. in Ezechiel. prophetam, & post illum Antoninus parte 3 historia tit. 19. cap. 11. cuius verba hæc sunt. Nec per hoc detrahitur sanctitati Elizabethæ si nō credatur. Quia & sancti viri Prophetæ aliquando credūt a Deo sibi aliqua reuelari prophetiæ spiritu, quæ ex phantasia sua trahunt in visionibus suis, vt patet in Natham Propheta.

Obiter hic monendum puto, Anthoninum eodem loco errare in persona Elizabethæ. Hæc enim visionē corpus B. Mariæ Virginis die 40. circiter post assumptionem animæ, in cælum fuisse euectum, tribuit Elizabethæ filiæ regis Ungariæ, vxori Langrauij Thuringiæ, quæ est Elizabethæ Schonangiensis, de qua nos agimus hoc cognoui ex Ioannis Beleti, lib. de Officijs diuinis cap. 146. Ex his quæ diximus cum liquido constet veram & certam virginū historiam ex reuelationibus sumi non posse, consequens est, vt eam ex antiquis scriptoribus & historicis petamus.

DE TEMPORE PRIMA OPI-
nio discussa.

PARVVS extat libellus hic Coloniae ante annos aliquot impressus, in quo post visiones Fr. T. & passionem S. Vrsulae in certi auctoris, de qua paulò antè, tēpus his verbis exprimitur. Item passae sunt Anno Domini 238. Hanc tēporis designationem auctor Chronici Coloniensis fol. 68. sequitur, atque Cyriacum Papam inter Pontianum & Anterum. Ex Elizabetha Schonaugiensi ponit. Eodem modo & Harigerus Abbas Lobbiensis in Catalogo Episcoporum Tongerensium in Metropoli, cuius verba sic habent. Metropolis filius Metropolitani Ducis Lotharingiae, ex filia regis Hungariae factus Episcopus Tungerensis quartus, Anno Domini 221. qui in Dei seruitio iugiter perseverans, diuersas regiones tam domesticas, quàm aduenas, sua praedicatione in fide Christi illuminabat. Huius tempore facta est sexta persecutio sub Maximino Imperatore, qui bellum contra Germanos auxilio regis Hunnorum foeliciter consummauit, qui dum Coloniā obsedisset, sanctae Virgines Britannicae scilicet Vrsula Regina, cum sodalibus suis à Roma reuertentes, & per Rhenum Coloniā descēdentes, ab Hunnis sunt interfectae, quarum numerus fuit vndecim millium Virginum. exceptis viris, & viduis, quorum numerus fuit 30000. pontificante ibi Aquilino 4. à B. Materno, qui eos in cāpo sepeliuit. Floruit sub Apostolicis Calixto 1. Urbano 1. Pontiano, Cyriaco & Antero. Hæc ille: At verò
Caesar

Cæsar Baron. illam ipsam opinionem Tom. 2. Annal. ad An. 237. prorsus rejicit & refutat, cuius verba hæc sunt: At non audiendi penitus recentiores quidam, qui post Pontianum introducunt Cyriacum quendam Romanum Pontificem, cuius nulla prorsus extat mentio in serie Romanorum Pontificum à Latinis descripta, uti in lib. de Romanis Pontificibus; vel apud Opratum Mileuitanum, vel Augustinum, aut Cresconium aliosve Indices Vaticanos: nec apud Græcos ut Eusebiū, Nicephorū, Chronographum, vel alios, adeò ut ne digna quidem sit, quæ pluribus confutetur sententia, quippè quæ nulla penitus nitatur ratione vel testimonio antiquorum, ex commentitijs tantum actis illis martyrij sanctarum Vrsulæ & sociarum quæ in nostris notationibus refutauimus. Ex ea namque historia de Cyriaco Papa qui ibi nominatur, falsa hæc opinio fluxisse videtur, sed nec illa licet adulterina acta suffragantur, quibus sub Attila Cyriaco ille introducit. Quod in postremis his verbis, ait Baronius, Cyriacum sub Attila introduci, id verum esse ex reuelatione, Fr. T. liquet. Afirmat enim B. Cyriaco Papæ surrogatum in Pontificatu Hilarium, in quo rursus manifestus error. Nam B. Leo Magnus obiit 3. Idib. Aprilis, & 13. Kal. Maij eligitur S. Hilarius, quare nullus Cyriacus potest interijci, & stragem virginum ante mortē Leonis accidisse necesse est. Ante Baronium eodem modo hæc de re statuerūt Crāzius in Metropoli, & illo antiquior Gobelenus quidā in Cosmidromio, cuius verba author Chronici Coloniensis, citat fol. 88.

quæ

quæ sic habent. Sed quidam, nescio quibus fabulis intenti, dicunt Cyriacum nomine & nomen illius esse deletum de Catalogo Romanorum Pontificum, propterea quod cum 11000. Virginum ab vrbe Roma discedens papatum reliquerit Cardinalibus & Clero inuitis, & deinde apud Coloniam Agrippinam cum iisdem virginibus martyrium pertulerit. Sed error istorum patet ex multis. Nam Hieronymus petijt à Damaso Papa vt colligeret sibi nomina Romanorum Pontificum, & qui ex eis fuissent martyrio coronati diligentius annotaret. Vnde Damasus Papa collegit quædam librum de prædictis, quem Hieronymo ultra transmarinas partes, vbi tunc idem Hieronymus degit, destinavit. In quo quidem libro scripsit Pötiano successisse Anterum, & nullum ponit in eodem libro Cyriacum, & Damasus non prætermisisset eum, maximè cum fuisset martyrio coronatus. Nec potest dici quod Damasus nomen eius ignorasset, cum vix annis 130. eum in papatu præcessisset, &c. Nec dicendum est, quod nomen eius fuerit mutatū. Quia nondum erat consuetudo mutare nomina Summorum Pontificum. Item Eusebius Cæsariensis, qui non longè post hæc tempora fuit, in Chronica sua post Pontianum ponit Anterum, & nullibi ponit aliquem nomine Cyriacū. Item quia vt legitur de 11000. Virginū, Hunni occiderunt eas, qui nondum isto tēpore egressi fuerant Mœotidas paludes, nec nomen Hannorū adhuc cognitum erat. Itē illi qui dicunt, istum Cyriacum cum dictis Virginibus profectū, dicunt quod pater B. Vrsulæ fuerit Rex Britanniæ, & pater sponsi eius fuerit

Rex

Rex Anglię: sed regnū Anglię nondū ortum erat, nec etiā sicilia adhuc regnū erat, nec erag aliqua ciuitas adhuc Constantinopolis nomita, de quib⁹ omnibus prædicti fabulantes aliquos homines vel fœminas in virginū prædictarū comitatu fuisse asseuerant. Item finaliter non est verisimile Christianos, istis temporibus ita publicē urbem Romanam potuisse visitasse, in tanta comitatiua, cū necdum solitum erat eandem urbē, paucas adhuc habentem ecclesias, pro indulgentijs visitari. Nec etiam aliquis Imperator fidē Christi adhuc susceperat, prout hæc omnia per supra & infra scripta lucidius apparent. Sed error iste surrexit, vt dicitur de quadam fœmina nescio an inclusa vel Monacha, quæ fuit apud Schonaugiã temporibus Frederici I. circa annos Domini 1156. quæ asseruit talia, & multa alia sibi reuelationibus diuinis patefacta, cuiusmodi reuelationes assertas ego perlegi, & multis contrariantur libris Chronicis & historicis. Vnde quædam ad impugnandum seu verius ad elucidari prouocandum huiusmodi erroris caliginem collegi, quæ Coloniam examinanda destinaui, & licet plures viri solennes & magnæ reputationis ista perlegerent; tamen solutionem eorum, quæ contra supradictas assertas reuelationes, in quantum historiam Virginum contingunt, allegaui, obtinere non valebam. In prædictis reuelationibus assertis dicit illa fœmina, quod Maximus & Africanus Consules scripserunt ad quendam Iulium cognatum suum, tunc principem Hunnorum, vt vndecim millia Virginum mori

traderet, quando ad partes Germaniæ veniret. Sed si consules isti habuerunt potestatem virgines illas perimere, tunc illas eo tēpore Romæ occidissent, eò quod tunc feruebat persecutio Christianorū in vrbe, ita quòd Anterus Papa occisus est, vt dicit Damasus Papa, nec fuit cognita gens Hunnorum in Germania vel in Italia. Hæc ex Cosmidronjo, ex quibus satis constare arbitror, & quanto in errore versentur, qui statuunt anno 238. passas Virgines nostras, & simul quàm parum momenti sit ponendum in reuelationibus de historia earundem virginum, & si eius libri auctor fuit Gobelinus Alemannus Carmelita, qui vixisse scribitur Anno 1305. non nostro seculo tantū, sed à multo tempore reuelationes istas in dubium fuisse reuocatas. Non dubito aliquos mihi obiecturos auctoritatem Iuris Canonici & Pontificij, cuius apud oēs magna debet esse auctoritas. In eo enim Sexti lib. 1. Titul. de renunciatione in glossa videri reuelationes nostras approbari, cum ex ijs exemplum Cyriaci ad docendum Papam renunciare posse papatui adducitur. Glossa sic habet: Datur autem certum exemplum de Cyriaco Papa, de quo legitur, quod cum Vrsula & vndecim millibus Virginum martyrizatus est. Scribitur enim de ipso, quod sibi quondam reuelatum est, quod esset cum illis virginibus palmam martyrij recepturus. Tunc congregatis Clero & Cardinalibus omnibus inuitis & præcipuè Cardinalibus coram ipsis renunciauit dignitati & officio. Sed iste Cyriacus in Catalogo Romanorum Pontificū non denominatur, quia creditū fuit per Cardina-

dinales quod non propter deuotionem, sed propter oblectamenta virginum Papatum dimississet: Glossæ à hoc nullius est momenti, vtpotè quod neque in antiquioribus exemplaribus inuenitur, neque ab auctore ipso, sed alio quodam per parentem cognoscitur intextum, & merito hodie tanquam nothum in emendatis auctoritate sedis Apostolicæ libris sublatum esse reperitur.

DE TEMPORE SECUNDA OPINIO
examinata.

SUFFICIENT ista de prima opinione, accedamus iam ad secundam, videamusque an Maximi Tyranni tempore hæc cædes ab Hunnis sit patrata. Hoc enim affirmat lib. 5. extremo antiquus Britannicæ Gallicæ scriptor, qui historiam Brittonum inde ab excidio Troiano adusque annum circiter 700. à nato Christo patria lingua conscripsit, quæ postea in Latinum sermonem conuertit Galfredus Monumetensis Episcopus Eluicësis, seu ad S. Asaphû. Eundem sequitur Polydorus Virgil. lib. 3. Historiæ Anglicæ. Ponticus Virunnius lib. 5. Historiæ Britannicæ. Ioânes Trithemius in Compendio Historiæ Francorum ad an. 387. Cæsar Baronius in Notationibus in Martyrologiû ad diem 21. Octob. & Tom. 4. Annal. ad an. 383. & Ioannes Balæus hæreticus lib. de scriptoribus Britanicis Centuria 1. Singulorû verba huc referre nõ arbitror esse necessarium, quod & hoc prolixum foret, & auctores isti nunc in manibus omnium studiosorum reperiantur. Videamus ergo de re ipsa. Varijs aut rationibus demon-

LII strari

strari potest hanc opinionem subsistere non posse. Principio quod ex antiquo scriptore Trithemius, Baronius & reliqui auctores, repetunt Maximum ex Britannia traiecisse in eam Galliae regionem, quam Armoricam dicunt, & ibi constituisse nouum Britanniae regnum, id veritati non esse consonum ex historicis liquido constat. Praeter alios enim Zosimus lib. 4. Historiae scribit, Maximum simul atque a militibus Imperator fuisset appellatus, ac purpura & diademate cinctus, confestim cum exercitu transmissis Oceano non in Armoricam, sed ad ostia Rheni appulisse, & Imperium in tota Gallia & vicinis regionibus fauore exercitus occupasse, ac Victorem filium Caesaris dignitate ornatum apud transalpinas gentes reliquisse, cum post Gratianum interemtum Valentinianum persecuturus, in Italiam Aquileiam usque copias duceret. Idemque narrat Maximo postea interfecto cum filio Victore Theodosio Valentiniano vniuersum Imperium restituisse. Ex qua historia manifestum fit, Maximum nullum post se regnum Britanniae in Gallia relinquere potuisse, cui Conanum S. Vrsulae spolum praefecerit. Deinde si placet ex Gallicae historiae scriptoribus initium regni Britanniae in Gallia inuestigare, nullo negotio intelligamus post Maximi tempora regnum illud exortum esse. Paulus. u. Amylius accuratus rerum Francicarum scriptor, li. i. suae historiae ad tempora Regis Francorum Merouei eius regni initium refert, qui ut scribit in Galliam cum exercitu Francorum venit an. 4. a Christo nato, & Aetio federe iunctus contra Attilam postea exercitum duxit. Hoc videtur animaduer-

inadvertisse Marc° Velferus, quādo ad hęc verba Baronij in Notationibus: Cū Maximus proximas Gallias inuassisset & vicinos Armoricos sedibus expulisset, vacuā prouinciā, vberes glebas Britānicis militibus nouā Colonia tribuit ac diuisit, vnde & eidē prouinciā comparatum est nomen, vt minor Britānia diceretur, hanc glossam adijcit, meam fidē hic non interposuerim. si ergō primum constitutum fuit illud regnū tēpore Nerouei, quis non videt nullo modo ad istī° Maximi tēpora, de quo loquimur, historiam S. Vrsulæ referri posse? sed hæc de re iterum dicitur. Quin etiā qui res gestas, in Albione & tempore & personis accuratius distinguunt, idq; ex veteribus insulæ scriptoribus, potius meo iudicio fidem merentur, quā incertus iste auctor Britannicus, quem Galfredus cōuertit. Quales sunt Hector Boethius, Ioannes Lestæus & Georgius Buchananus, qui omnes magno consensu testificantur Dioneu patre S. Vrsulæ nō tempore Maximi Tyrāni vixisse, sed multis annis post, quando alius quidā Dux Romanus, quem illi Maximianum vocāt, cum Legione missus fuerat in Britannia cōtra Pictos & Scotos, eo scilicet tempore cū gubernaret Imperiū Valentinianus 3. Et verò nō pauca in Historijs præsertim sanctorum, ex illa nominum Maximini, Maximiani & Maximi similitudine esse confusa, & docti fatentur & res ipsa indicat, vt mirum non sit, quod & in hanc virginum historiam ex eadem nominum similitudine huiusmodi error irrepsit. Quæ nunc de hac opinione diximus, meo iudicio satis demonstrant neque superiorem,

Lll 2 neque

neque etiam hanc de tempore opinionem subsistere posse, quare transeo ad tertiam.

DE TEMPORE TERTIA OPINIO comprobata.

ASSERTORES opinionis tertiæ sunt Siegebertus in chronicis ad annū 453. Otho Frisingens. lib. 4. c. 28. Gotfridus Vi-terbiensis parte 16. Chronici ad tempora Martiani & Valentiniani, Vernerus Rolewinck Carthusianus in fasciculo temporum ad annū 434. Sabellicus in Martiano 8. Enneadis lib. 2. Anthonius Bonfinius de rebus Vngaricis lib. 5. Carolus Sigonius lib. 23. de Occidentali Imperio, & quos paulò antè nominavi Hector Boëthius & Ioānes Lestegus, qui oēs, etsi in Chronologia nō idem sentiūt, tamen in eo cōsentiunt vniuersi, ad tempora Atticę historiam nostram esse referendam, quam opinionē & ego approbandā esse censeo, motus partim rationibus in proxima opinione adductis, partim quia à pluribus historicis celebratur, partim etiā quod tam scriptores quā tēpora ipsa hoc modo optimè conciliari queunt. Nam si expendamus quæ de initio Britannię Gallicę Francicos scriptores tradere diximus, facilè intelligemus, tempus quod annotat superiores auctores, ipsum esse, quo Virgines nostrę pro Christo sanguinem suum fuderūt. Accedit quod ætate iunior fuit Dionethus Rex, quā Maximus Tyrannus. Cum enim Maximus vniuersam Scotorū gentem ex Albione eiecisset atq; exulare coëgisset, Pictis domitis ac Romanę Reip. subiectis, constat sanè ex Scotię scriptoribus Scotos duce Fergusio eius

eius nominis secūdo Rege nō nisi 27. annis minimum interiectis rediisse in Insulam, & Dionethū Regem, cui postq̄ rediissent Fergusij soror nupserat, ex eoq; Vrsulam nostrā procrearat, cum Fergusio affine anno 16. post reditum contra Romanos pro libertate patriæ bellum gessisse, cū iā Maximus tyrannus longè antè fuisset è medio sublatus, & alius quidam dux Romanus, quē Insulæ scriptores, vt supra dixi, Maximianum etiā appellant, cum Legione vna ab AEtio istuc missus res Romanas in Insula administraret. Porrò nec probari ex vllō authenticō scriptore posse existimo, Hunnos Germaniam Galliamq; ad depopulādum vllō alio tempore intrasse, quā sub duce eorum Attila & nō modò à vero alienū videatur, quod scribit Lindanus Episcopus in Notationibus Baronij, Hunnos apud Coloniā egisse Gratiano Augusto cōtra Maximum tyrannum militaturos: verū etiam quod ipse Baronius ex veteri historico, cuius iam sæpè mentionem fecimus, narrat, Melgam Pictorum & Gaunum Hunnorum piratas in littore Germanico constitisse, ibiq; virgines interemptas, merito suspectum habeatur. Equidem de Pictis perspicuum esse reor, illos iam tum regnum suū in ipsa Albione constitutū & firmatum habuisse, nō in Germania adhuc Britanniam infestatos hæsisse. Et cū Zosimus auctor sit Maximum ex Britannia traiecisse ac venisse ad ostia Rheni, atque Carol. Sigon. addat, ibidem ab ijs, qui in eis stationibus versabantur, militibus fuisse acceptū, verisimile non est, istuc Gratianum præsidium aliquod ex Pictis & Hūnis collocasse. Et

Lll 3 quam-

quamuis inficias nequaquã eo, Gratianum externa auxilia ab Alanis & Hunnis quaesuisse, tamen Hunnos in Germaniam tunc transgressos & ad Oceanum vsque ex probatis historicis confirmari ac demonstrari posse vix credidero. Sigebertus, n. qui eorundẽ meminit, narrat illos post Maximi discessum in ipsamet Insula Britannos diuexisse, & per Gratianũ durẽ à Maximo in Albionem missum, inde in Hiberniam profligatos, vt nulla ratione dici possit, eos in littore Germanico collocatos ad excitandam Britãniã. Beda quoq; lib. 1. Historiæ Anglicanæ cap. 12. etsi Pictos & Scotos vocat gentes trãsmarinas, nõ prætermittit tamen, quomodo hoc accipi debeat, explicare his verbis: Trãsmarinas autẽ dicimus has gentes, nõ quod extra Britãniã essent positæ, sed quia à parte Britonum erant remotæ duobus sinibus maris interiacentibus, quorum vnus ab Oriẽtali mari, alter ab Occidentali Britannię terras longẽ lateque irrumpit, quamuis ad se inuicem pertingere nõ possint. Hæc ille: Nec his contrariũ quod S. Ambrosius ad Valentinianum refert, & Baronius citat, quando aliud nil affirmat, quàm Valẽtinianum Hũnos atque Alanos appropinquãres Galliæ per Alemaniam terras reflexisse, hoc est, ad suam redire iussisse. Quin & ipse Baronius agnoscit tom. 4. Annaliũ ex eodem Ambrosio Hunnos nõ tam cõtra Maximũ, quam cõtra Iuthungos Rhetias populãres fuisse accitos. Postremò diligenter peruestiganti historiam Britannicam, qualis illa à Gilda sapiente descripta est, & à venerabili Beda breuissimẽ lib. 1. Anglicæ historiæ paucis capitib.

repe-

repetita, facillimè occurreret ratio, vnde liquido constare existimabit, nō nisi hoc tempore, quo Attilæ furore & rabiem sensit Germania & Gallia, virginum cædem accidere potuisse. Quanquam enim aliquoties Britanniam omni armato milite spoliata per tyrannos Romanum Imperium occupantes profiteantur, tamen nullius transmigrationsis populi Britānici præsertim tā memorabilis, qualis hæc fuit, de qua scribit antiquus auctor, quod septuaginta & vnum, Hæctor Boethius aut lib. - . centum millia hominum trajcere coacti sint, meminerunt, quam quæ facta est post ingressum Anglorum in Britanniam. Quando igitur Beda scribit anno 449. Anglos & Saxones in Britāniam irrupisse, & negari nequeat, eodē tempore Attilam Hunnum Germaniam Galliamque populatum fuisse, ex hac ipsa tempore confessione satis apparet virginum stragem non alio, sed hoc ipso tempore patratam. Atque hæc dicta sint de tempore, nūc porro etiam agemus de loco.

*QVO LOCO SACRATISSIMAE
virgines sint passæ.*

DE loco duæ sunt, vt suprā dixi, opiniones: vna eorū qui tradunt in maris Germanici littore passas, & pleraq; earum corpora Coloniā vsq; delata & condita: altera omnium ferè historicorum, qui de 11000. millibus virginū aliquid litteris mandarunt, quos etsi non oēs proximo capite enumeravi, quibus etiam assentiuntur, qui visiones & reuelationes sequuntur. Hic nūc adijcio VVandelbertum,

LII 4 tum,

tum, qui ante 640. annos circiter in Martyrologio suo hæc scripta reliquit.

*Tunc numerosa simul Rheni per littora fulgent.
Christo virginis erecta trophæa manipulis,
Ægrippinæ vrbi, quarum furor impius olim
Millia mactauit ductricibus inclyto sanctis.*

Historici ergo in eo conueniunt, nõ alio loco quàm in agro Colonienfi Virgines gloriosam & beatam pro Christo mortem opperijisse, ad quem consensum magis confirmandum magnam meritò vim & momentum habere debet, perpetua & summè consentiens populi & totius Ecclesiæ Colonienfis traditio, quæ inde vsque à prima passionis tempore ad nos dimanauit ac deducta fuit, quam suis testificationibus non parum exornant Archiepiscopi eiusdem Ecclesiæ nostræ. Quod enim ad vnum omnes à tempore passionis earum loci, vbi passæ sunt, Incolæ profitentur, præsertim præsules, quin hoc ità sit, nemo sanæ mentis, credo, negauerit. Populi autè hic consensus inde maximè elucet, quod tota Ecclesia Colonienfis in cætu de his virginibus sine vllius vnquam hominis contradictione sequèribus antiphonis eas commendare & Deum laudare consuevit. In Choro Sanctorum iugiter diuinæ laudis resonat iubilatio, vbi laudatur Deus Deorum in Syon, alleluia.

Inter quos vndena virginum milia, sequentes agnum sine macula, laudant illum gaudentes cœlesti laude per sæcula, alleluia.

Quæ diuino nutu à partibus occidentis exhibitæ pro Christi nomine hic fudère cruorem, quia nunquam in persecutione potuerunt ab eius diuelli confessione. Benedicamus ergo Deum

Deum calorum cum omni creatura, qui tam pretioso locum istum decorauit martyrio.

O beata virginum corpora, quæ Christi confessione prostrata solo iacent hic sepulta, quarum animæ æterna cum illo regnant in victoria, quas cæli regio cum angelis regnaturas accepit.

Has Antiphonas cum reliquis omnibus, nec non Responsorijs in Matutino officio cantari solitis, arbitror ab Ecclesia Coloniensi vniuersa frequentatas, antequam vllæ reuelationes fuissent diulgatæ, ex quibus nihil profus illis est insertum. Nam si post visiones fuissent introductæ, sine dubio ex ijs quoque fuissent desumptæ, vt in cantu aliorum Sanctorû fieri consuevit.

Archipræfulum verò attestaciones non minus sunt perspicuæ. Et principio, vt proximè ad tempus passionis accedam, placet quædam huc referre ex Commentario quodam doctissimi viri Ortuvini Gratij de initio & progressu Ecclesiæ SS. Machabæorum, qui extat manuscripto adhuc apud Sanctimoniales eiusdè Ecclesiæ, vbi post narratâ virginû cædem hæc habentur. Hinc post annos aliquot, salutis videlicet quadringentesimum tertiumque & sexagesimum aut circiter, Solinus Archiepiscopus Coloniensis, quem alias Aquilinum vocatum legimus, vt sacris his locis munitiorem aliquam faceret, sanctisq; virginibus reuerentiam maiorem, sicuti in Archiuis huius vrbs reperimus notatum, vetustis istis tunc moenibus nota quædâ à loco vbi nunc est Xenodochium, quod nostri *Dipperwatt* vocant, adijciens,

LII 5

statuens

statuensq; portā quæ vulgo Würffel portæ appellatur, ea loca vbi nunc beatæ Vrsulæ extat Basilica, & eam Grenisbergenfis siue Vrsulani agri regionem muro circumcinxit, & intra urbem contraxit, eamq; tanto ampliorē reddidit, nec non ossa Sanctorū quoad potuit è terra veteribus eruens locellis, lapideis iterū recondit mausoleis, & ædiculā istam tunc Magdalensam in loco vestro ipse extruxit ampliorē. Fuere quoq; his temporibus qui Basilicā istam D. Vrsulæ sacrā à vobis occidentem versus extruerent, vt abundè affatimq; tam sacris pignoribus per vicina copia fieret venerationis, atque à pluribus tam exteris quam à nostris condecorarentur. Hæc ille.

Solini tertium successorem S. Cuniberrum nō minus virgines nostras hic Colonię coluisse, ex vita eius fit manifestum, quam recitat Surius tomo 6. Quadam die, inquit, dum singulare redemptionis nostræ mysterium, & solum infirmitatis nostræ remedium, plenus Deo, super mensam Dominicam in Basilica SS. Virginum immolaret, adstans Clerus & populus vidit cōlumbam splendidissimam primum hic & illac per omnem Ecclesiam circumuolitando vagari, deindè Pontificis insidere capiti, mox indè reuersam & iuxta tumulum cuiusdā virginis stupentibus simul & mirantibus vniuersis, qui aderāt, ab omnium oculis elapsam. Alius quidā incertus auctor eandē historiā descripsit, quæ in antiquo quodam libro Ecclesiæ Collegiatę S. Cuniberti reperitur, hic apertè ista explicans, annua solennitate factū cōmemorat, & præmittit Coloniā martyri sanguine pro

ne pro Christi nomine fuso, scilicet trecento-
rum decem & octo mediante Gereone cum so-
cijijs suis & vnderū millium virginum corusca-
re. Visitur etiam nū altare in Ecclesia SS. virgi-
num in quo sanctus Episcopus sacrificasse me-
moratur, Cunibertū compluribus annis inter-
iectis, securus Hermānus eius nominis primus
Archiepiscopus Colonensis fundavit Colle-
giū S. Ursulæ, & in ipsa fundatione non agnos-
cit aliū certaminis locum quā agrū Colonien-
sem. Sic enim habet fundatio. Qui loca sacra
rationabiliter gubernat, eisq; famulātibus sti-
pēdia augmentādo deliberat, remunerationē
in futuro sibi præparat: Ideoq; in nomine san-
ctæ & Indiuiduæ Trinitatis; Ego Hermānus sā-
ctæ Coloniensis Ecclesiæ diuina opitulāte cle-
mentia Archiepiscopus, omnibus sanctæ ma-
tris Ecclesię filijs ac filiabus presentibus & fu-
turis scilicet notū fieri volo. Quia exusto per
Vngaricam tyrannidem Monasterio in loco
Gerrigheim nūcupato in honorē sancti salua-
toris & sanctæ Mariæ sanctiq; Hypoliti Mar-
tyris constructo, cunctisq; & ipsius Venera-
bilis Abbatissæ Lancluindæ omniumq; hono-
rabilium sororum diuinitus utique sibi subie-
ctarum habitaculis specialibus sibi profecto,
& communibus pari modo flammivomis con-
sumptis incēdijs, mancipijs interfectis & capi-
tuatis atque in exilium ductis, omnibusq; que
habuēre direptis. Ipsa etiam prænomina-
ta Deo deuota Abbatissa vnā cum sanctimo-
nialibus sibi vnanimiter adherētibus sororib⁹
ex improviso & subitaneo Vngarorū impetu
mortis periculum formidādo Coloniensis ci-
uitatis

uitatis confugia adeuntibus, nullumque per omnia in præfato loco castellū, vel aliud quodcunque tutamentum habentibus, vt in Dei omnipotentis famulatu, veluti propitiā diuinitate in primis cœperunt, permanere mererentur per amicorum probabiliū interuentum Monasterium sanctarum Virginum, extra muros Colonix erectum, ad laudationem Dei & sanctę Marię ac ipsarū vndecim milium virginum, sibi à nostra concedi mediocritate deuotè poposcerant, ea pro certa ratione, quo se cū sibi subiectis omnibus sub patrociniū ac defensionem primitus Christi Domini ac almi patroni nostri Petri, nec non & sub alas pastoris eiusdem sanctę Colonienfis Ecclesię, cum ipsius præfati martyris reliquijs submittendo, quicquid prædij vel hæreditatis, siue ex traditione Gerrici bonę memorię viri, vel quicquid post eius obitum ab alijs religiosijs viris siue fœminis traditum fuisset, sine diminutione totum & ad integrum ad Altare S. Petri infra Coloniã honorificè in principali loco fundatum, spontanea contraderent voluntate suscepturæ. Item è contra per huiusmodi traditionem, quicquid bonorum traditione virorum seu honestarum mulierum ad Ecclesiam sanctarum tradebatur virginum, & sic perpetuè Domino largiente in eodem sub regulari constitutione degendo loco, vtrumque suis vasis deputatum, sine vlla possiderent contradictione, minimè tamen ea intentione, quo illud Monasterium in memorato loco constructum, vbi antea diuinis inuigilabāt laudibus, sine cura omninò relinqueretur: sed aliquate-

nus illic prout cōgruum visum fuerit, relictis
fororibus cū presbytero, Missarum solemnia,
& omnem Canonicum cursum, cum aliarum
frequentia supplicationū quotidiè explerent.
Quæ audientes, earumque calamitatibus ex a-
nimo compatientes, sanctum quoq; locum vbi
tot preciosarum Christi corpora quiescunt
summopere procurare nitentes, consultu fide-
lium nostrorum tam Clericorum idoneorum,
quam etiam Laicorum nobilium, iuxta earum
petitionem & nostrorum suggestionem vota
suscepimus, & martyris Christi Hypoliti reli-
quias super altare almi Petri ponentes, in con-
spectu totius circumstantis populi eius se hu-
militer subdidere Dominio, omnia ipsorū v-
sibus cōmuniter deputata Eyvervini aduocati
sui manu in medio posita secundum subscrip-
tam submittentes sententiam, tali itidem te-
nore. Quatenus eadem Lanchunid quæ instan-
ti præest Abbatisa tempore, omnibus vitæ suæ
diebus sine alicuius obiurationis impulsu præ-
fixo utatur priuilegio, postque ipsius, cū Do-
minus voluerit, decessum liberum omnimo-
dis electionis suæ habituræ arbitrium, inter se
illam quæ optima, & in sanctimonialibus vitæ
proposito deuotissima tunc temporis inuenta
fuerit, cum consensu atque consilio reuerendi
Antistitis, quicumque illis temporibus iam di-
ctæ præesse sacre videbitur sedi, ab infantia
secum multam ac regularem atq; monasteria-
lis vitæ norma benè instructam, ex nobili pro-
genie ortam in Abbatisæ sibi præferre hono-
re. Nec vllus vnquam successorum nostrorum
aliquam cuiuslibet famulationis in eisdem
ancil-

ancillis Dei, potestatem sibi met vëdicare præsumet, nisi tantum paterno affectu sanctarum precū exercitia. Nec suæ cognationis vel familiaritatis Abbatisam, cōtra earū voluntatē eius præpositionē attenter, sed ipsarū electio atq; petitio cum adiutorio primi pastoris, sanctissimi Petri Apostolorum Principis, firma in omnibus munitaque permaneat. Hoc loco interijciuntur bona & curtes Monasterio assignata, & illis enumeratis pergit in fundatione his verbis. Hęc omnia & superius compræhensa cum omnibus ad hæc iure pertinentibus domibus, ædificijs, siluis, cāpis, pascuis, aquis aquarūue decursib⁹, ingressibus & exitibus, cūctisq; appendicijs, omnia & ex omnibus totū & ad integrū de iure nostro, in i^o & dominationē præfatæ Ecclesiæ, & sanctimonialibus sororibus ibidē Deo sanctisq; virginibus ritē famulātibus tradimus atque transfundimus ea, pro certa conditione, quatenus illic perpetualiter in diuinis laudibus pro animæ nostræ remedio omniumq; supra nominatorū virorum vel sceminarum augmenta capiendū proficiāt. Si quis verò quod fieri minimè credimus, si nos ipsi, quod absit, aut vllus successorum nostrorum, seu quælibet alia opposita vel extranea persona, qui contra hanc donationis chartam venire tentauerit, & eam infregerit, aut immutare voluerit, primo irā Dei omnipotentis ac sanctæ Mariæ atque earundem sanctarū vndecim milium virginū incurrat, & à liminibus ipsius sancti loci excōmunicat⁹ appareat, & insuper veniat super eum lepra Naaman & sic marcescat in radice, vt nō floreat in pal-

in palmite, & si aliquid exindè reperit nullo vnquam tempore euindicare præualeat, & adhuc pro totius rei firmitate inferat eum constringente socio fisco, iuxta legum decreta auri libras quinque, & argenti pondera viginti, ne factum nostrum irrumperere valeat, sed præsens traditionis charta omni tempore firma stabilisque permaneant, cum stipulatione subnixæ. Actum publicè Colonia ciuitate regnantibus Christianissimis regibus Carolo & Henrico, Indictione 10 3. Idus Augusti in Dei nomine feliciter. Fuit annus 922. quo Hungari Germaniam vastarunt iudicio Sigeberti, Hermannii proximus successor VVichfridus anno 927. 4. Kal. August. Henrici Regis anno 9. Indictione 15. in literis quibus vniuit Ecclesiam S. Mariæ virginis Ecclesie S. Vrsulæ, & alia quædam contulit illustre quoque nostræ sententiæ perhibet testimoniū hoc pacto scribens.

In nomine, sanctæ & indiuiduæ Trinitatis VVichfridus diuina opitulante clementia Coloniensis ciuitatis Archiepiscopus. Nouerit omnium sanctæ Dei Ecclesie fidelium præsentium & futurorum industria, quatenus nos diuina inspiratione admoniti, venerabilibus sororibus quæ in Ecclesia sanctarum virginum die noctuque fideliter deseruiunt, aliquid ex nostro ad earum refectionem addere curauimus. Nobis namque inquirentibus cõpertum est, illas in quotidiano victus sui alimento magnū habuisse dispendium. Nō enim ignoramus quod ad peragendum diuinum officium tanto minus desudabant, quanto maiorem cibi penuriã sustinuerunt, & quod ab illis

VNUM

vnnum nõ exigetur, si alterum subtrahitur. Vnde iuxta consensum communeque consilium nostrorum fidelium tam Clericorum quã Laicorum, propter amorem Domini saluatoris, propterque reuerentiam vndecim miliũ Virginum inibi requiescentium, nec non propter nostri recordationem, concessimus eis habendam ad augmentationem illarum præbendam, Ecclesiam sanctæ Mariæ proximè statutã, &c. Hæc VVichfridus, eiusdem sententiæ fuisse reliquos omnes, qui Ecclesiæ SS. Virginum aliquid contulerunt, vt VVarinum, Piligrinum, Hermanum 2. Sigvvinum, Brunonem 2. Philippum, Engelbertum 1. Conradum, Henricũ 2. ex eorũ vel donationibus vel attestationibus facillè demonstrari possent, nisi hæc de traditione perpetua totius Ecclesiæ Colonienfis sufficere arbitraremur. Porrò hoc prætermittendũ nulla ratione videtur, veteres totum tractum illum in quo virgines cæsæ fuerant, & corpora earum sparsim sepulta, vocare solitos agrum Vrsulanum. Extat hac de re diploma Philippi Archiepiscopi Colonienfis, quod subiiciendũ putavi.

In nomine sanctæ & Indiuiduæ Trinitatis. Philippus Dei gratia sanctæ Colonienfis Ecclesiæ Archiepiscopus, vniuersitati fidelium tã præsentium quam futurorum. Notum facinus omnibus Christi fidelibus, quod Capellam in memoriam sanctarum virginum in loco qui dicitur. S. Vrsulæ ager in Colonia constructã cum omnibus pertinentijs suis sanctimonialibus ordinis B. Benedicti in eadem Deo & sanctis virginibus in perpetuum seruitutis, de cõmuni

muni fratrum S. Cuniberti assensu, intra quorum terminos ipsa Capella sita esse dignoscitur, presentibus etiam Coloniensis Ecclesie prioribus, pro reuerentia sanctarum virginum, nec non & pro consideratione religionis & honestatis sanctimonialium, earundem quiete & pacifice perpetuis temporibus concessimus possidendam, statuentes vt nulli omnino hominum liceat eam ipsis auferre, diminuire seu ex inde eas quomodolibet temere perturbare, ex auctoritate S. Petri & nostra bannum, & damnationem omnibus denunciante, qui aduersus huius facti veritatem aliquam iniustitie vel violentie audaciam tentarint inferre. Ad immortalem igitur huius rei memoriam presentem paginam sigilli nostri impressione fecimus comuniri. Facta sunt hec anno Domini incarnationis 1178. Indictione quinta. Preterea inde quoque manifestum esse arbitramur Virgines Coloniae passas, quod omnes reliquie ex hac societate, quocumque locorum in vniuerso orbe Christiano translatae sunt, non aliunde quam ex agro & locis sacris Coloniensibus petitas cognoscimus. De S. Odilia haec Molanus in Indiculo Sanctorum Belgij: S. Odilia virgo de numero vndecim millium, dixit in visione Ioanni de Eppa conuerso Parisijs in Conuentu fratrum S. Crucis. Surge frater, Coloniae iuxta S. Gereonis Ecclesiam, in viridario Arnulphi inuenies ossa mea sub piro in marmoreo sarcophago, quae in primarium S. Crucis coenobium iuxta oppidum Huyense, volo transferri. Conuersus a Priore Coloniae missus cum thesaurum caelestem inuenisset, Sifredo Archiepiscopo nunciauit, qui Corpus Odiliae eleuauit & in capsulam ligneam reuerenter reposuit. Deinde praedictus conuersus capsam cum literis gestorum clam a Colonia digrediens Huyum traestulit

M m m

ad Ec-

ad Ecclesiam Fratrum sanctæ Crucis. In ipsa autem translatione & in loco suæ translationis crebris miraculis coruscavit. Dies translationis celebratur decima octava Iulij. Hæc de Odilia Molanus. De sancta Cordula per Albertum magnum ex orto Ioannitarum S. Cordulæ Fratrum Hospitalis S. Ioannis Coloniensis ad eorum Ecclesiam, item de Constantia & pluribus alijs quæ lógum foret huc inferre idem doceri potest, si opus sit. Nunc hoc tantum dico, si non Coloniæ sed in loco alio passæ essent etiam indè inuenirentur reliquiæ aliquando translatae, & de tali loco alibi constaret. Non enim est verisimile agrum Coloniensem, quo tantum virginum corpora fuissent deportata, tãta martyrio fuisse nobilitatum, & non locum ipsum passionis. Cum ergo de nullo alio loco constet, quã agro Coloniensi & absurdum meritò habeatur per viginti sex, aut plura etiam miliaria ex Rheni ostijs Coloniã usque tantã multitudinẽ trãferri potuisse, profectò cõfiteri cogimur nullum alium passionis locum constitui posse, quam qui hactenus fuit celebratus, nempe agrum Coloniensem. Huc etiam pertinet, quod cum tam frequenter reliquiarum nostrarum translationes fieri amplissimus Senatus Coloniensis obseruaret, ne noster locus totus exinaniretur, singulari indulto & priuilegio à se de Apostolica impetrato, inhiuerit ante complures annos, ne in posterum quisquam eas facere præsumeret. Denique demonstrari idem potest ex itinere quod sacram Societatem post tempestatis pericula confecisse certo constare videtur. Ex Italia enim egressas primum venisse Eichseliam Comitatus Rinfeldici pagum & ibidẽ ex eis tres defunctas scilicet Cunigundã, VVibrandem ac Mèchtildem, inde Basileam & ibi vnam nem-

nempe Christianam, hinc Argentinam, & istic similiter vnam videlicet Aureliam occubuisse, cōpertum habemus ex Epitome Historiæ Basileensis cap: 6. Christiani Vrstisij, cuius hæc sunt verba: Ferunt denique de grege isto (vndecim milium virginum) itineris difficultate multas absuntas esse, è quibus virgines tres, Cunigundam, VVibrandem atque Mechrildem Eicseliæ comitatus Rincfeldici pago tumulatas, apud Rauracos obijisse volunt, Christianam Basileæ, atque Aureliam Argentiæ. Idem testis est, videri adhuc edito montis iugo vltra Rhenum dominij Basileensis facellum Christianæ dedicatum, & hos de sepulchro eius Sebastiani Brant Argentinensis versus ibidem recitat.

Posteaquam meritis plena est tua vita probatis,
Christiana, ð christi sponsa decora nimis.
Huc vel ab extremis socias comitata Britannis,
Te Basilea rapit, nunc locus ille tenet.
Vrsula te portum Rheni subitura reliquit,
Martyrium petiji sancta virago suum.
Hanc iaculo Gotti bi manus impia morte peremit,
Vulnere non tactam te pia fata vocant.
Præripuit quia non morbum te diua puella,
Martyr es ergò animo, dignaque aureola.
Indomita iugo pro te subiere iuuenca.
Ad montis donec te iuga pertulerant.
Non locus alter erat tanta te virgine dignus,
Quam locus hic heremi, quam loca lecta tibi.
Alta fuit sponso coniunctaque mens tibi Christo,
Alta igitur montis saxa sepulta tenes.
Virginis instar habes, Arabum quam collis inumbrat.
Monte super Synai quæ Catharina cubat.
Quam nec Alexandri dignum seruariet vrbes

M m m x

Sic

Sic neque digna quidem te Basilea fuit.
 Scilicet a similem Deum ex hoc virginitatem,
 Inducto monstrans, illius atque inam.
 Vnaque sed mensam, thalamos vel adire Deorum,
 O securam minis, o nimium que potens.
 Millia que comitum fuerant vndena tuarum,
 Iam tibi colludunt gramine in Elyseo.
 More puellarum legisti que hyacinthina ferta,
 Cuius que croco nardum, liliaque et violas.
 Iam pater omnipotens nec tibi dulce ministrat,
 Et simul Ambrosiam grata alimenta Deum.
 Iam que agnum comitari eum, quem candida vestis
 Palla, suo spersa sanguine purpureo.
 Vi vita fueras, sic nominis amula Christi,
 Hic quoque cum sponsa, sponsa beata cubas.

Hæc ex Sebastiano Brant Vrsistius, qui in eodem
 capite etiam cum B. Renano lib. 3. rerum germa-
 nicarum narrat demonstrari adhuc gradus à Mar-
 tiniano templo nomen habentes, per quos socie-
 tas cliuum conscenderit, similiter domum in an-
 tiquissimo vrbis vico statuum S. Vrsulæ præse-
 rentem, quæ omnia non sinunt nos de profectio-
 ne virginum ex Italia Coloniam vsque ambigere.
 Quod ad Aureliam attinet, ei quoque templum ex-
 tra muros ciuitatis Argentinensis ædificatum faci-
 le ex lectionibus Breuiarij istius Ecclesiæ intelli-
 gimus, ac festum eius celebrari consuetum Idibus
 Octobris sexto die ante festum B. Vrsulæ & So-
 ciarum, videre est in tabulis eiusdem Ecclesiæ. Vn-
 de consequitur sanctam societatem nauibus Argen-
 tina Coloniam vsque delatas, vbi ab Hunnis inter-
 emta fuerunt. Quod enim vltra non venerint ex hi-
 storia S. Cunera patet, quam breuiter Molanus in
 Indiculo suo Sanctorum Belgij his verbis est com-
 plexus: S. Cunera quiescit in oppido Rhenensi,
 quod

est territorij Traiectensis. Ipsa de numero vndecim millium virginum legitur superstes fuisse: sed postmodum per reginam Rheni, eiusque pedissequam strangulat manutergio, quæ in Rhenensi Ecclesia est cõseruatũ: Eã multis miraculis gloriosã Rheneses per VVillebrordũ transferri peruenũt. Quod præmissis fide dignorum testimonijs cum gaudio perfecit, die duodecimo Iunij: Natalis verò eius notatur in Martyrologio Vltraiectensi in die Simonis & Iudæ, qui dies est septimus à festo S. Vrsulæ. Hactenus ea in medium adduximus, ex quibus verũ passionis locum demonstrari posse arbitrati sumus, restat tũc vt alteram opinionem quæ nostra est contraria examinemus & quoad fieri potest, refellamus ac refutemus.

De loco secunda opinio refutata.

Alteram de loco passionis opinione diximus eorum esse, qui tradunt non Coloniae Agrippinæ passas virgines, sed alibi potius, & pleraque earum corpora Coloniae fuisse delata & cõdita. Sic enim Martyrologium Romanũ Lugduni impressum. Apud Coloniae Agrippinam natalis SS. Vrsulæ & sociarum eius, quæ pro virginitatis constantia ab Hunnis interfectæ martyrio vitam consummauerunt, & plurima earum corpora Coloniae delata fuerunt. Venetijs cum Notationibus Baronij editum hoc modo. Apud Coloniae Agrippinam natalis SS. Vrsulæ & sociarum eius, quæ pro Christiana religione & virginitatis constantia ab Hunnis interfectæ martyrio vitam consummarunt, & plurima earum corpora coloniae condita fuerunt. Statuit ergò Martyrologium Virgines Coloniae non, sed alicubi martyrio affectas, nec

M m 3 tamen

ramen certum aliquem locum nominat. Cæterum Baronius quod in Martyrologio prætermissum est, supplet & certum locum designat, nempe Germanici maris littus, in Notationibus his verbis: Londæni itaque cunctis coactis, inuitæ licet, patrium solum charosque suos relinquentes impuntur nauigijs, dumque regionem Armoricorum cogitant nauæ, mox sæua procella naues impulit in Germanicum littus, vbi dum essent, Melga Pictorum & Guanius Hunnorum piratæ, qui comparata classe iccto foedere cum Gratiano Imperatore aduersus Maximum, vt vel hac arte eum à coeptis deturbarent, cum ad infestandam Britanniam tenderent, in has ad littus iactatas virginum naues incidentes; sic in Britannas virgines vt in hostes grassati sunt, vt vim inferendi illarum pudicitia consilium caperent. Quæ omnes hortatu Vrsulæ, mortem durissimam potius oppetere ac gladijs obruncari Christiana constantia decreuerunt, quam ignominiosum quid pati. Cumque ea persisterent animi firmitate, mox illorum libidine in barbaricum furorem mutata, cum alio properarent, ne longiori mora distinerentur, singulas crudelissimè trucidarunt. Et paucis interiectis pergit. Sparsa in finitimis regionibus fama de gloriosa virginum nece, quod vita potius, quam pudicitia dispendium pati sustinuisent, à vicinorum locorum accolis sacra cadauera cum honore sunt sublata, atque Coloniam Agrippinam delata, debito sanctis martyribus cultu celebrata sunt. Quin & tom. quarto Annalium ad annum 383. cum Marco Vellero Augustano adhuc magis expressè eundem locum indicat his verbis: Differuimus de his in nostris Notis ad Ro-

ad Romanum Martyrologium, Lindaniq̄ue Epif-
 copi Gandauensis viri eruditione clarissimi adsti-
 pulationem adieci, quibus accedant, quæ vir
 nobilis & cum primis disertus Marcus Velferus
 in fragmentis itinerariæ antiquæ tabulæ summa
 peritia illustratis haud pridem edidit, vbi agit
 de prætorio Agrippinæ ad mare sito, cuius sen-
 tentiæ antiquorum monumentorum fide certa te-
 stata, haud inuiti subscribimus. Tu velim ip-
 sum consulas. Insuper verba Velferi hæc sunt:
 Adhoc prætorium Agrippinæ quod in scheda in-
 uenitur, vbi Rhenus influit in mare, reuocanda
 est cædes virginum Britannicarum, quam ab Hun-
 nis Colonia Agrippinæ patraram fama ex nominis
 errore orta proditum. Hæc illi. In alia opinione ef-
 se inuenitur doctissimus vir Suffridus Petrus lib. 1.
 de Frisiorum origine cap. 9. vt ex his eius verbis in-
 telligimus. Hæc autem ciuitas Frongest tempo-
 ris successu in celeberrimum emporium excreuit.
 Eam Romani posteaquam Patauiam & Frisiam i-
 stam inuasissent ob vicinitatem nominis, quam cū
 Italiæ, ciuitate Verona habebat, etiam Veronam
 appellarunt. Quæ nominis similitudo eos dece-
 pit, qui historiam vndecim millium virginum con-
 scripserunt, qui cum audissent eas ex Britannia sol-
 uentes, vi tempestatum Veronam appulsas, & Veronam
 nō aliam nossent, quam istam Italicā, absurdū
 rati quod referebatur, pro Verona Bonnam suppo-
 fuerunt, hoc est, historiam verā inscitia sua suspectā
 reddiderunt. Ad hanc enim Frisæ Veronam eas ap-
 pulisse nec absurdū nec incredibile erat, cū ex Bri-
 tannia in hunc portum facilis traiectus esset. Ha-
 ctenus ille. Si hæc ita habent, vti referuntur, vel
 saltem alterutrum verū existit, corrui sanè quic-

M m m 4 cui d

quid de loco martyrij nos paulò antè constituimus. Quare vt nostram sententiam veram probemus, hæc ipsa sunt refutanda. Equidem non magnoperè laboro de Martyrologio, quod si sano intelligatur sensu, nihil alienum à veritate infert. Nam totus ille ager ab Ecclesia S. Gereonis ad Rhenum vsque, in quo campo passim corpora è terra eruta habentur, cum Ecclesijs in eo ædificatis adusque annum 1180 extra ciuitatem Colonensem extitit, & quæcunque reliquiæ Societatis in ipsa ciuitate reperiebantur extrinsecus illatæ fuerunt. Etsi enim Solinus vt supra diximus agrum Vrsulanum ad reuerentiam Virginum vallo fossaq̃e muniuisse fertur, Philippus tamen Archiepiscopus dicto anno ciuitatem multò ampliorem, quam eo vsque fuerat, reddens nouis moenibus non tantum agrum Vrsulanum, sed & multa alia pia loca & Ecclesias ambientibus cingere cœpit, vt tradunt Chronica Colonens. fol. 76.

Porro nec obest nobis opinio Suffridi Petri, quippe qui neque de loco martyrij quicquam narrat, & manifestissimum errorem continet, Nusquam enim in historia virginum alicuius Veronæ fit mentio, neque à quoquam Bonna vnquam fuit supposita, sed fit hoc in historia SS. Thæbeorum & Maurorum præsertim Casij, Florentij Malhusij & sociorum, in qua aliud oppidum præter Bonnam Veronæ substitui nequiuit. Cuius auctor ipse à me monitus auctorem nominauit, quem fuisse secutus, errorem non defendit. Sumpsit autem hanc narrationem ex Batauia Hadriani Iunij, vbi ista leguntur: Indicauit mihi per Epistolam inter alia multa Nicolaus Vorstius vir non postremæ eruditionis Lugdunianæ scholæ moderator, se à gra-

uis auctoritatis viro Iurecōsulto Colonienfi accepisse, in historia qua vndenum Virginum millium profectio è Britannia Insula pertexitur narrari illas nauibus impostas & fœda tempestate iactatas Veronam appulisse, id quod de hac nostrate Verona probabiliter dicitur, quod istud emporium vicinū fuerit alueo fluenti illius quod Canefaciū terga claudebat è Rheno productum, & præterlabens Crabbedamum in mare decurrebat, ostenditurque etiamnū apud Veronēses campos alueus decliuōre solo, vbi ostiū & aditus portus fuerit è mari appellentibus nauibus. De qua cum ne per somnium quidem triuiale istud Concionatorum genus quicquam inaudisset, fidesque historiæ transalpinam illam respueret, pro Verona Bonnam nugatoriè ne dicam falso interpretatur, præter rationem omnē: Hæc ille satis petulanter. Quæ enim est ratio nostros Concionatores verbistam procacibus & cōtumeliosis proscindendi in historia, quam ipsemet ignorauit, & in qua quicumque Iureconsultus fuit, quem sequitur, erratum suum agnoscere debet? Sed & ad Baronij ac Velseri dicta facilis est responsio. Quis enim id vnquam probet, quod nullius grauis auctoris iudicio contra omnem antiquitatem, contra publica monumenta affertur? At sequitur Baronius veteris historici auctoritatem, qui hoc affirmat. Scio Baronium ex Episcopo Asaphensi contexere in Notis suis historiam Virginum, in qua verba, quæ paulò antè recitauimus, inueniuntur. An autem verba antiqui auctoris verè expresserit, vel et^o etiā interpretis Asaphensis, rectè cognoscemus, si verba ipsa paulò diligentius discusserimus. Verba Asaphensis sic habent lib. 5. istius historiæ cap. 16. Parato autem nauigio ingrediuntur mulieres naues, &

M m m 5 per

per Thamesim fluuium maria petunt, postremò cū
 vela versus Armoricos diuertissent, contrarij venti
 in classem insurrexerunt, & in breui totam societate
 dissipant, periclitabatur ergò naues intra ma-
 ria in maiore parte submersę sunt, quę verò totum
 periculum euaserūt, appulsę in barbaras insulas, &
 ab ignota gente siue trucidatę siue mācipatę. Inci-
 derāt siquidem in nefandū exercitū Guanij & Mel-
 gę, qui iussu Gratia nationes maritimorū & Ger-
 manię dira clade opprimebant. Erat autem Gua-
 nius Rex Hunnorum, Melga verò Pictorum quos
 adsciuerat sibi Gratianus, miseratque in Germaniā,
 vt eos qui Maximiano fauerant, inquietarent. Per
 maritima ergo sc̄uientes obuiauerunt prædictis
 puellis in partes illas appulsis. Inspecientes igitur
 earum pulchritudinem lassuere cum eis voluerūt,
 sed cum abnegauissent puellę in eas Ambranes ir-
 ruerunt, maximamque partem sine pietate truci-
 dauerunt. Hęc auctor iste, ex quibus nullum arbi-
 tror certum locum haberi posse, in quo Virgines
 nostrę cęsę dicantur. Propalam enim dicit appul-
 sas fuisse in barbaras insulas, & ab ignota gente tru-
 cidatas, & quanquam hanc ignotam gentem mox
 nominat, scilicet exercitum Guanij Hūnorum du-
 cis & Melgę Pictorum: tamen nusquam nominat
 vel insulas vel locum Germanię, vbi in manus eo-
 rum inciderint virgines, de quibus etiam certò af-
 firmare non audet, an cęsę, vel an mancipatę fue-
 rint. Nec obstat quòd à Gratiano in Germaniam
 missos dicat Hunnos & Pictos, quando apertis ver-
 bis adijcit, factum hoc vt maritimas nationes si-
 mul & Germaniam istis in locis ad vires Maximi
 frangendas, infestas tenerent. Vt ergo auctor ille
 in dubio relinquit, si societas illa interemta sit: ita

& hoc, quo loco, an alibi in barbara aliqua insula, vel in maritima aliqua natione, vel an in Germania perierit nusquam definit. Quare Virgines in littore Germanico occisione perijisse ex illo auctore euinci meo quidem iudicio non potest, & errat Baronius id affirmans, errat Velserus certio- rem adhuc locum ostendens. Insuper & hoc ex superioribus repetendum arbitror, hanc ipsam historiam de Guanio & Melga incertam esse, & à nostra historia prorsus alienam. Addo & illud: In ambitu ciuitatis Coloniensis præter Metropolitanam Ecclesiam numerari decem Ecclesias collegi- atas, sexdecim monasteria virorum, triginta sanctimonialium, nouemdecim Parochiales, & quam plurima alia facella, item oratoria virorum ac mulierum. Et cum tot sint templa & fana in hac ciuitate, omnia tamen reliquijs & ossibus SS. Virginum, hic & non alibi è terra erutis ira sunt referta, vt mirum sit inueniri, qui putent, tot olim corpora ad milliaria nostra Germanica viginti sex aut plura fuisse ex loco passionis Coloniæ vsque translata, vt sepul- turæ traderentur. Quid, quod nec alibi extat ali- quod vestigium tantæ cladis, præterquam Coloniæ Agrippinæ, & nemo veterum alterius alicuius lo- ci meminit, vt iam antè etiã diximus. Denique hoc quoque vt obseruetur dignum iudico, corpora de- functorum ex vna regione in aliam nunquã trans- ferri solita, nisi vt honestiori loco reponerentur ad maiorem eorundem honorem, quod hic factum dici non potest, cum non in ipsam ciuitatem, sed in agrum extra situm, terræ mandata fuerint. Iccir- co tandem concludimus, virgines nostras in agro Coloniensi martyrio fuis- se affectas.

ANNO.

ANNOTATIONES AD SUPERIO-
rem historiam.

PRINCIPIBVS] de Tyrannis Rempub. cir-
ca hæc tempora inuadentibus & proidenti-
bus Orofius libr. 7. cap. 34. 40. & 42. Paulus
Diaconus primis aliquot libris ad Eutropium ad-
ditis, fufius autè Carolus Sigonius in libris de Oc-
cidentalì imperio 8. extremo, 9. 10. & aliquot fe-
quentibus. Porrò de Britannicis Tyrannis agunt
Gildas Sapiens & venerabilis Beda, ille in Epiftola
cap. 10. hic ca. 9. & aliquot fequentibus lib. 1. Eccle-
fiasticæ Hiftoriæ Anglorum.

Barbaris vndiq;] Barbaræ gentes Romanum Im-
perium depopulantes non funt ignotæ, fcilicet
Gothi, Vandali, Alani, Sueui, Burgundiones, He-
ruli, Franci, Hunni, Longobardi, & fimiles, de
quibus apud eosdem auctores in libris citatis in-
uenitur.

Multis pijs ac Christianis] Constat Romanos
vocaffe omnes illos barbaros, qui ipforum impe-
rio non parebant, inter quos erant Picti quoque &
Scoti. Cæterum cùm manifefcū fit has gentes Chri-
ftianam fidem amplexas, antequam cùm nonnullis
Britannis confœderatæ libertatem in Britannia
reftituere conarentur, nec volui nec potui illas sub
barbarorum nomine comprehendere, fecutus ea in
re Saluianum Epifcopum Maffilienfem, qui lib. 4.
& 5. de verò iudicio Dei, duo genera barbarorum
tantum agnofcit, Paganorum fcilicet & Hæretico-
rum, ac multis modis docet, Romanos tam paganis
quam hæreticis illo tempore multo fuiſſe peiores
& deteriores vt illi potius barbari, quam hi dicen-
di ſint & nominandi, quod lib. 5. vbi de acerbiſſi-
mis

mis & iniquissimis Romanorum exactiōibus gravissimè differit, inter alia his verbis affirmat. Vultantur pauperes, viduæ gemunt, orphani proculcantur in tantum vt multi eorum, & non obscuris natalibus editi, & liberaliter instituti, ad hostes fugiant, ne persecutionis publicæ afflictione moriantur, quærentes scilicet apud Barbaros Romanâ humanitatem, quia apud Romanos barbarâ inhumanitatem ferre non possunt: Hæc ille.

Britanni quoque à Pictis] de Scotis & Pictis Britanniam persequentibus, & de Romanis eandem fortiter defendentibus Gildas in Epistola de excidio Britannia à ca. 11. Beda Ecclesiasticæ Historiæ gentis Anglorum lib. 1. cap. 12. Ioānes Lestæus lib 3. & 4. Georgius Buchenanus lib. 5. copiosissimè autem Hector Boëthius lib. 6. 7. & 8.

Legio quæ à Romanis missa.] Hanc legionem ab Aëtio ex Gallia missam, & eius ducem Maximianū nominatum Insulæ historici auctores sunt, vti testantur quos citavi scriptores Scotiæ, quibus potius fidem adhibendam existimo, quâ exteris. Quia verò antiquus auctor Britannia Gallicæ lib. 5. extremo testatur Maximianum Romæ interfecit: suspicari quis posset, fuisse Petronium Maximum, qui interempto Valentiniano Imperium inuasit, & ad paucos menses tenuit.

In Armoricam Gallia regionem.] Britannia Gallicæ regnum tempore Mereuæ Regis Francorum constitui cœptum, ex historia AEmylii supra diximus, sed certum annorum tempus, quo Armorici ex patria sua videantur expulsi, & prostrati nondum inuestigauimus, quod nunc faciemus. Principio extitisse illud an. 461. ex subscriptione Episcoporum, qui Turonibus cōuenere, hoc eodē anno con-

constare videtur. Nam mansuetus Britannorum Episcopus huic Conuentui interfuit, & subscripsit, & deinceps Britannorum super Ligerim motum, regniq̄ue eorūdem, cum ex Sidonio, qui hisce temporibus vixit, tum ex alijs in historia à Sigonio fit mentio, videlicet an. 469. & 470. Deinde illud quoque perspicuum est, Armoricas ciuitates sese in libertatem vindicasse Magistratibus Romanis expulsis, & Repub. pro arbitrio constituta, atque in eadem rebellionē obdurasse vsque ad legationem à S. Germano Antisiodorensi episcopo pro ipsis ad Valentinianum Imperatorem susceptam, ex Tomo 5. Baronij ad an. 435. & historia Sigonij lib. 10. ad an. 409. lib. 12. ad an. 437. & lib. 13. ad an. 448. Nam Armoricos, cum vires suas prorsus attritas viderēt, nec amplius Aëtio & exercitui ad coercendam pertinaciam ac rebellionem eorum missio resistere possent, per Germanum primo ad exercitum, dein ad Aëtium & tandem ad Valentinianum ipsum al legatum pacem petiuisse, & facile eam impetrare potuisse, nisi noua rebellionē iustam principis iracundiam excitassent, nominati auctores ex vita S. Germani, à Constantio illo tempore conscriptam tradunt. Porrò hanc S. Germani legationem Baronius refert ad annum eundem 435. Sigonius verò lib. 13. ad an. 448. Sed huius Chronologia cum errore esse coniuncta hac in re videtur. Ex literis enim Britannorū ad Aetium datis, quas referunt Gildas & Beda manifestū fit Maximianum qui Armoricos subegit ante annū 446. quo idem Aetius tertius fuit Consul ex Britānia in Galliam traiecisse. Frustra enim auxilium tunc Britones ab Aetio petiuerunt. Quoniam ergo Cōstantius, qui vitam S. Germani istis tēporibus, vt dixi, descripsit, auctor est li. 2. c. 18 breui

breui post illam legationem & mortem S. Germani
 Armoricos pœnas perfidæ temeritatis exsoluisse,
 necesse est, vt dicamus post annum 435. & ante annũ
 446. initium regni Britaniæ Gallicæ constituendũ.
 Medio enim tempore optima dabatur ditionem oc-
 cupandi occasio, quod & Armoricæ res prorsus es-
 sent afflicte, & Franci vi maxima in Galliam irruer-
 ent, Romanisque omnem rebellionis coercen-
 dæ occasionem præscinderent.

Coacti sunt Brittones.] Hæc facta esse anno 449.
 Beda auctor est lib. 1. Ecclesiasticæ historiæ cap. 15.
 qui fidem meretur.

Qui isti regno à Duce Legionis.] Narrantur ista
 à Galfredo lib. 5. extremo, cuius verba suprâ retuli-
 mus, & Hectore Boethio lib. 7. Historiæ Scoticæ.
 Verba eius ex scriptoribus Insulæ, vt existimo, de-
 sumpta, non enim auctores nominat, hæc sunt: Se-
 cuto verò in Cambriam (Maximianus) ducit, Dio-
 nethi motus, quem Brittones ad Hybernicum mare
 incolentes regem vocabant, reprimendi consilio.
 Cumque ad id exequendum faceret delectum per
 Britanniam accepit amicorum literis Africam à
 Romano imperio opera Bonifacij cuiusdam tyran-
 nidem occupantis, alienatam. Duces Valentiniani
 Augusti Mauortium & Gallionem Romanis cum
 copijs in ea prouincia cæsos, Francos Germaniæ
 populum Rhenum transgressos, multò ferocius
 quam vnquam antea Galliam inuasisse, Aurelia-
 num & Parasinum occupasse agros, fixisseque ibi
 sedes, rege sibi ex gente creato. Apparere propediè
 totam Galliam Romanorum ducum tyrannidem,
 indies magis fastidientem alienatam imperio in
 Francorũ nomen fidemque concessurã. Maximianus
 tot in orbe tyrannides in Romanum nomen fatis
 aduer-

aduersis intelligens, & ipse tyrannidem occupare, ut dudum cogitauerat, decreuit. Et ne quid ei imperij initio officeret, Britanniam pacatiorem reddere curauit. Ergo ut Britanniae regnum sibi primū stabiliret, Dionethi filiam maiorem natu (geminā enim ille foeminini sexus prolem, virilis nullam, ex Fergusij sorore susceperat Othiliā & Vrsulam) ad quam ius regni attinere credebatur, cunctis Britonum maioribus probātibus matrimonio sibi deuinxit. Vrsulam ut ei perpetua uirginitate spē parus adimeret, sacrarum uirginum collegio addixit. Honorificum enim erat apud Britannos Virgines summo loco natas Deo Opt. Maxi. ministras capi, nefarium autem iniurias ad matrimonium anhelare. Effecit ea affinitas Dionethum Regem, simul cum tota Cambrorum Icenarumque gente, quae in Romanos rebellionem fecerat, Maximiano charissimum. Unde permissa est Dionetho secundum Maximianum Tegatum summa in Britannia administratio. Nonnullis interiectis pergit idem auctor. Porro Maximianus, ne Armorica suis armis deuicta atque veteri exhausta habitatore, vicinis Gallis praeda fieret, e Britannia viros accersit, qui provinciam incolerept, cultamque ab hostiū tutaretur iniuria. Sunt qui scribant centum millia incolarum e Britannia Maximiani iussu in Armoricam traiecisse, quibus postquam sedes ibi fixerant, Maximianus Conanum nobilem Britannum, Dionethique necessarium Regem praefecit, provinciamque Britanniam a nouis incolis dixit, sicque Armorici simul nomen ad patriam amisere. Ipse a Burgundis accitus ad belli summam contra Aetium gerendum cum illis Romanis militibus, qui secum e Britannia in Galliam transmiserant concessit. Conanus Rex
maio-

maiorum nouæ gentis consilio ne regnum recenter
 conditū, intra vnius hominis ætatē interiret. (nū-
 la enim spes prolis sine vxoribus esse potuit) ex Bri-
 tannia, vnde fuerant profecti, fœminas quæsiuit.
 Missi Legati ad negotium conficiendum apud Bri-
 tanniæ maiores (Dionethus enim Rex medijs his
 rebus fato erat sublatus) obtinere, vt Britonū qui
 Armoricæ incolendæ causa ad Maximianum trans-
 miserant, filiæ, sorores, vxores neptesque cum Vr-
 sula Dionethi regis filia, quam Conanus ad conu-
 bium petiuit, in Galliam trajcerent. Ursula Christi-
 tum sacerdos singularem ob pietatē omnibus vene-
 rabilis canobio, vbi perpetuæ virginitatj vltro ad-
 dicta sacris ministerijs insistebat, extracta, vi na-
 uim cōscendere est coacta, ne Dionethi Regis pro-
 pago deficeret. Nam Othilia Maximiani coniūx al-
 tera Dionethi filia absq; libris dudū fatis concesser-
 rat) vt viro matrimonio copularetur. Secutus traie-
 ctus, etsi Britonibus parū acceptus Ursulæ tamen &
 permultis, quæ cū ea vehebatur virginibus gratus.
 Enimuerò aduerso flatu cū in Armoricā tenderent,
 in Rheni ostia non sine vitæ discrimine omnes, qui
 in ea classe erāt, sunt compulsi. Vbi fœminæ in con-
 tinentem expositæ, quoniam maris sauitiā perfer-
 re nequiuissent in Armoricam terrestri itinere pro-
 fecturæ, seu Romā (vt alij scribunt, Ursula videlicet
 cum multis virginibus sodalibus suis cōnubia illa
 religionis causa auersante, & propterea profectio-
 nem in Armoricam deuitante) ab Hunnis mox Gal-
 liam, Attila duce terribili assultu infestaturis, apud
 Coloniā Agrippinam pudicitia tueri conatæ, fœ-
 lices Christi sponsæ ad vnā sunt omnes interfectæ.
 Effecta est harū tam sanctarum virginum (sed post
 annos plusculos) fama tam celebris per orbem ad

Nun poste-

posteritatem, vt in earum memoriam Christiani sacra solennibus ceremonijs quotannis peragāt. Hactenus Boëthius, quę idcirco fusius huc referre placuit, quod quę adhuc in historia Virginum consequitur, ex ijs nõ parũ illustrētur & clariora euadāt.

Dionethus apud Britones] Dionethum de genere regio Octauio patre nec non Octauio natũ tradit Boëthius lib. 6. & 7. historiae suae.

Vti & ceteri Britones] Britones inter primos populos Christianam fidẽ suscepisse ad annũ Christi 103. docet Baronius tom. 2. annalium, & in Martyrologio ad diem 26. Maij. Idem tradit Iacobus Pamelius in annotatione 43. in lib. Tertulliani, aduersũ Iudæos. Citant præter Tertullianum, Gildam sapientem & Bedam, quorum ille hoc asserit in Epistola sua cap. 6. hic lib. 1. Historiae cap. 4.

Vrsulæ filia præterquam] Hęc non tantum Boëthius narrat, vt supra vidimus sed & addit B. Ursulã fuisse sanctimoniam & Deo virginitatẽ perpetuã vouisse. Ioannes Balæus Hæreticus in Catalogo Scriptorum Britannicorum, etsi magna impudẽtia B. Ursulæ historiam mendacijs suis aspergit; diffidẽter tamen non audeat Christiani Principis Dionethi fuisse filiam, liberaliter bonis artibus institutã, & laudabilis pudicitie fœminam.

Gens Anglorũ] Beda lib. 1. cap. 15. Ecclesiasticę historiae. Quoniam verò auctor est an. 449. Anglos in Britaniã ingressos, & ex Boëthij lib. 8. colligi potest, nõ nisi duobus annis Saxones pro Britanis cõtra Pictos & Scotos bella gessisse, cõsequẽs est Britannos an. 450. vel circiter perpeffos Saxonũ hęc tyrãnidẽ. Tãta ergò clade pressi Britones) Qui de virginũ Britanicarũ cæde literis aliquid madafũt, vnã tantũ ex Britaniã in Galliã traiectõ causã referũt, videlicet, vt nup-

ne nuptui collocarētur militibus. Ceterū, quia ego supra ostēdi, eo ipso tēpore, quo hęc traiectio facta est, Britannos in maximas à gēte Anglorū siue Saxonū redactos angustias: & simul obseruo nō virgines modò, verūm & Infantes, Matres, Viros, inter quos Ecclesiastici quoq; aliquot, iuxta traditionē Ecclesiæ Coloniēsis, extiterūt & corpora ipsa ostendunt, transfretasse, hanc alteram causam adijciendam eo magis putavi, quod nec Gildas sapiens, nec sanctus Beda vllius emigrationis populi Britannici meminerunt, quam quæ facta est ad declinandam Anglorum tyrannidem & barbaram immanitatem.

Ingressi mare] Affirmant omnes quos vidi scriptores.

Tandē Coloniā Agrippinam] Ex Italia venisse virgines clarè supra demonstratum est, sed qua via in Italiā venerint tam facilè doceri nō potest. itaq; quidam dicunt, Societatem cū in ostia Rhēni tempestate coniecta fuisset. Hortatu S. Vrsulæ peregrinationem Romam vsq; religionis ergò instituisse, & sic ex Italia Coloniā rediisse. Sed hoc Beato Rhēnāno multisq; alijs ex eo improbat, quod credibile vix sit, Frācos, Alemannos aliosq; barbaros populos passuros fuisse, vt aduerso Rhēno opera equorū vsq; tanta turba Basileam nauigaret cum barbari in ripam Gallicam semper oculos intentos haberent prædegratia. His & ego assentior. Intelligo enim ex ijs, qui Romæ aliquādiu vixerūt, nullū ibi reperiri monumentū, nullū vestigiū, vti Basileæ, tantam hominum multitudinē illo tempore BB. Apostolorū liminibus vistratis Romæ vota sua soluisse. Quare si augurari cōiectura liceat, hoc malim affirmare, naues vento & tēpestate agitatas & propulsas in mare vsq; mediterraneum, vnde egressæ virgines, vel in

Nnn 2 patriam

patriam reditura, vel in Armoricam profectura, ad Rhenum pedestri itinere sese receperunt.

Quam ciuitatem tunc Hunni.] Ante pugnam Caralaunicam Virgines casas, auctores sunt Boëthius supra citatus & Sigonius lib. 13. ad an. 451. qui etiam tradit Coloniam tunc ab Hunnis occupatam ac deletam, sed cū natalis SS. Virginum ex perpetua Ecclesie Colonienfis obseruatione ac traditione celebretur 21. Octobris, & ex ipso historiae Hunnicæ ordine, quem Sigonius tenet, cognoscatur ante illū diem & mensem Colonia ab Hunnis occupata & euerfa, verius esse puto vt dicamus, vel post pugna ad Tolosam factā cū Attila se reciperet per Germaniā in Scythiā ab ipsomet, vel certē ab ijs militibus qui Coloniae in praesidijs collocati & relictī fuerāt, interea dū pugna committeretur & Attila adhuc in Gallia haereret, sanctū exercitū nostrum martyrio fuisse coronatum. Nā hoc ordine historiae describit Sigonius ad an. vt dixi 451. Attilam sciuente adhuc hyeme cū exercitu castra mouētē ad Rhenū peruenisse, illoq; traiecto primū occurrētia oppida, praecipuē Tugros Coloniamq; deleuisse, inde in Belgicam primam digressum, Metas pridie Paschatis occupatas diripuisse simul atq; succendisse, & sic tandem in Belgicam secundam, Senoniam, & reliquas Galliae regiones infestū irrupisse. Insuper quod cū quibusdā alijs Sigonius affirmat, Coloniae ab Hunnis deletā, hoc & Saluianus fortassis innuit, cū lib. 6. de vero iudicio Dei, Agrippinā hostibus fuisse plenā asserit, & in Epist. 1. religiosīs quibusdā Adolescentē Agrippinatem, qui cum suis fuisset à Barbaris captū, instituendum commendans, narrat, eiusdem matrē Agrippinā mansisse, tanta inopia & egestate pressam, vt nec residendi, nec abeundi facultas sup-

petij.

petijſſet, nihilque fuiſſet, quod vel ad victum vel ad fugam opitulari potuiſſet, adeò vt mercenario opere victum quærere & vxoribus Barbarorum locatitias manus ſubdere coacta fuiſſet.

Hunni gens & barbara & libidinofa.] Impudicos fuiſſe Hunnos teſtimonio ſuo comprobat Saluianus, de vero Dei iudicio lib. 4. his verbis. Gens Saxonum fera eſt, Francorum infidelis, Gepidarum inhumana & Hunnorum impudica.

Hunni eximia pulchritudine.] Hæc auctoritate veterum hiſtoricorum vtriuſque Britannię, ex quibus Galfredus, Boethius alijsque repetunt, confirmantur.

Agrippinates verò.] Virgines non vno in loco ſepulturæ traditas, ſed diuerſis, ex ſuperioribus facile intelligi poterit, & res ipſa etiamnum ſatis demonſtrat. Longè plurima corpora recondita fuerunt in loco, vbi Eccleſia SS. Virginũ extructa conſpicitur, non pauca etiam in Baſilica, quæ nunc Machabæis ſacra habetur. Quædam in horto Hoſpitalis S. Ioannis, & alijs in locis, vt ſuprà obſeruauimus de SS. Odilia, Cordula & alijs. Baſilicas nõ diu poſt.] Tempia SS. Virginum & Machabæorum antiquiſſima, & haud diu poſt paſſionem earum ædificata fuiſſe, inde conſtat, quod in illo ſacrum fecit S. Cunibertus, & hoc Conuentui S. Clementis à ſe fundato proprium dicauit, vt partim ex vita S. Cuniberti, partim ex diplomate Philippi Archiepiſcopi ſuprà deſcripto, patet, & pluribus adhuc documentis ex Archiuo Eccleſiæ tunc S. Clementis, nunc verò S. Cuniberti ſi opus ſit, demonſtrari poteſt. Floruit autem S. Cunibertus an. 627. vt ſcribit Sigebertus in Chronicis.

Quarum illam quæ SS. Virginum eſt.] Rene-

N n n i ren-

rendissimus Lindanus Ruremundensis Episcopus ad notas Baronij inter alia docens locum, vbi nunc vifitur S. Vrsulae Collegium, fuisse certaminis arenam, narrat, templi aream nullum suscipere sepeliendum, imò pueros recens baptizatos de nocte in superficiem reijcere visendos, quod mihi quoque primum Coloniam studiorum causa venienti inde persuasum fuit, quia parvum mausoleum supra terram eleuatum & paruis columnellis innixum ibi cernitur, in quo corpus cuiusdam contineri è terra iterum eiectum ab imperitis ferebatur. Sed anilem fabulam esse postea didici. Recondita enim in illo habentur reliquiae cuiusdam virginis ex Societate, quam S. Viuentiam nostrates denominant, & cuius commemorationem celebrant 17. die mensis Martij, vti, tabulae festorum & memoriarum eiusdem Ecclesiae indicant. Et iure quis miretur, cur in illo templo terra magis corpora Christianorum, si forte ibi sepeliantur, euomat, quam in Ecclesia SS. Machabæorum, in qua indies adhuc Christiani sepultura traduntur, cum tamen magno numero quoque ex Societate nostrarum Virginum corpora ibidem sepultura inueniantur, ac inde ab initio passionis colantur. Vt aut in Ecclesia SS. Virginum nullius corpus terrae mandetur, statuto cautum est, quod in antiquissimo eiusdem Ecclesiae libro his verbis scriptum inuenimus. Diuinis flammis visionibus frequenter admonitus, & virtute magnae maiestatis martyrij caelestium virginum imminentium, ex partibus Orientis exhibitus, pro voto Clematius, huc de proprio in loco suo hanc Basilicam voto, quod debebat à fundamentis restituit. Si quis autem super tantam maiestatem huius basilicae, vbi sanctae virginis pro nomine Christi sanguinem suum fuderunt,

si corpus alicuius deposuerit exceptis virginibus, sciat se sempiternis tartari ignibus puniendum. Quod in principio huius statuti narratur de Clematio, idem his versibus in eodem libro exprimitur.

*Christe quem Dominum celi regemque Deumque
Cruce iubet agnosci mortem qui vitii acerbam,
Martyrioque suo reparavit secula cunctis.
Hic ubi virgineum fudit manus impia sanguinem,
Angeli seu Christi casto inter somnia iussu.
Clematium fuso posuit pro sanguine templum,
Et Diodora simul cara et gratissima coniunx,
In tantum meritum caelestia facta resurgunt.*

In qua etiam, anno.] Quae deinceps in historia sequuntur ex foundationibus supra descriptis sumpta sunt, quae huc referendae erunt, ne opus sit pluribus hoc loco reperere. Haecenus ergo rudi hoc scripto de vndenum millium virginum historia breuiter ea posuimus, quae veritati essent consentanea, persuasum habemus, attamen si aliam quis mente opinionem comprehendit, aperte profiteamur nos huic nihil voluisse praedicti afferre, imò ut quisque in suo sensu abundet, per nos licet, hoc tantum rogamus, si contra nos aliquam opinionem concepit, praefertim de loco martyrii, quam veritas ipsa extorquet, eo nomine nullam virginibus litem moueat, neque sancta corpora ex agro Colonienfi in maris abyssum contra omnem antiquitatem deponet & immergat. Ut enim in alijs omnibus liberum beneuolo Lectori, iudicium concedimus: ita de loco martyrii nulla ratione disputationem ex incertis & dubijs ad SS. Virginum contumeliam instituendam existimamus. Denique & hoc vehementer petimus, & in primis à Doctis viris Regni Galliae contendimus. Quandoquidem à fide dignis accepimus in

Bri-

Britannia Gallica non longè à ciuitate Nannete, in
 facello perantiquo, nobilis cuiusdam doctus Tre-
 mar nuncupata, conseruari librum manuscriptum
 complectentem virginum hïstoriam, sed aliam
 quam quæ vulgò habetur, vt omnes & singuli quod
 aut obseruarunt hætenus, aut obseruarunt hæte-
 nus, aut obseruaturi sunt deinceps quod nos læuit,
 benignè nobiscum communicent, ad Virginum hi-
 storiam illustrandam, mercedem, intercedente
 sancta Societate à Deo recepturi, cui
 honor & gloria, nunc & in
 omne æuum: A-
 men.

FINIS TOMI QVARTI.



Annum 1707
 F. Capueinorum
 Paderbornæ.